

amicum te mihi esse sciant: quando ego literarum peritis
Linacri doctrinam deprædicaui. In comitatu Parisiensis
Antistitis est Nicolaus Beraldus, utraq; lingua doctus,
& mihi magnopere familiaris: q; te omnino aditurus est.
Longiores à me literas habuisses, nisi iam iam rus profes-
cturum negocia multa obeunda me urssissent. Vale, Parisi-
sij; postridie natalis diuæ Dei parentis.

GVLIELMVS BVDAEVS LV
DOVICO VIVI S.



Pero te purgationem meam accepisse de eo
quod neglecti me officij insimulare uideba-
re: si tamen literas accepisti, quas nuper ad
te dedi. Nec Germanum autem illum nobi-
lem, nec Britannum uidere mihi contigit
quorum tu in literis tuis meministi. Qua
in re non dubito me compendium non spernendum amis-
sisse in ratione amicitia; cui calendarij mei paginas præci-
puas destinauit. Nam binas tuas literas uno die accepi, cū
rure in urbem uenissem. Postremæ autē casu magis quàm
destinato mihi redditæ fuerunt: temere enim creditæ alie-
nis manibus fuerant, à quibus iam resignatæ in meas inci-
derunt. Proinde ut te iam utar placatiore, nosse hoc oportet,
ruri me nunc agentem uix bis in mense, nec nisi coas-
ctum in urbem uentitare. Quippe qui literariam supelle-
ctilem bona ex parte in Marlianum uicum meum transtu-
lerim; ubi æstatem uenientem exacturus sum, si tandiu
uixero. Et est adhuc ibi quod procurationem meam pos-
cat, & p̄sentiam, etiam si uilla urbana absoluta est. Quare
nec literas statim urbanæ domi redditas accipere ipse pos-
sum, cum in uilla sum, nec sub manu tabellarios habere.
Aegrotauit etiam grauius ab ineunte hyeme: id quod altero
nis sermè

nis fermè annis & interdum singulis solenne mihi fuit ha-
 ctenus post annos abhinc quindecim: quanquàm nulla non
 mihi tempestas ad capitis grauedinem satis apta est, præ-
 ter quem morbum alium ferè non experior. Cæterum quod
 de opere illo nouo mihi tibi quæ gratularis, nõ facile patior
 falso te gaudio duci: qui nouum opus esse putas, quod iam
 quater minimum sub præla missum fuit. Audio enim ne-
 scio quid operum meorum propediem rursus editum iri:
 unde enatum illum rumorem esse arbitror, qui ad te usque
 manauit. Hic facere nequeo uir amicissime, quin tibi suc-
 censeam de hac ipsa spe improbiore, quam de me, mea quæ
 industria concipere te uideo: quasi uero homini mihi in-
 genio iam effæto, animo etiam alacriore defecto ob malã
 ualetudinem, sexto quoque mense aliquid edendũ sit: quũ
 toties testatus sim nihil me propemodum nisi ocium par-
 turire. At tu hoc ipso ex ocio negocium (ut uideo) faceffe-
 re mihi instituisti. Eia tu uide obsecro, ut satis æquum te
 mihi præbeas, per quem pauculos hos menses cessare mi-
 hi non licet: cui quadriennij uacatione iusta etiam immu-
 nitas quæ sita uidebatur, & concessa. Leges prisce & seue-
 ræ multum ijs indulserunt, qui ius trium liberorum in Ita-
 lia, aut in prouincijs plusculorum citare potuissent inter
 causas detrectandorum munerum publicorum: ipse cum
 geminato eo numero auctus sim, etiam superstitem &
 alendorum, inter munifices censeor existimatione tua &
 amicorum ferè omnium: inter immunes prætereor quasi
 orbitate præditus. Vide igitur tu cum illis etiam atque etiam
 ut satis me noritis: ut facultates meas satis attente expen-
 deritis: ut denique ex æquo, bono quæ mecum agatis: qui per-
 inde ipsi me publico nomine appellatis, atque si unquam essem
 eorum prædiuitum, qui inferre identidem aliquid memo-
 rabile possunt in gazophylacium: quod ad tuenda fartate-
 cta Musei institutum est & Greci & Romani. Erasmo ue-

stro conuenit ea functio, & si quis posthac existet ei equi-
 parandus: cuius opes ingenij, eruditionisq; copiae tetra-
 chiae celsum inter Græcos, inter Romanos primæ cuiusq;
 superant centuriæ. Ego cum inter proletarios censeri po-
 tius quàm inter classes debeam: utpote qui inter causari-
 os usurpare uacationem possim, si uelim: nec ius tamen,
 nec æquum apud uos obtineo: qui immunitatē ipsi agno-
 scere non uidemini, inter eos quidem qui aliquando mu-
 nia subierunt. Quo iure mecum agere si ista tua expecta-
 tio gestiens obstinauerit: quasi scilicet delitias nunc faciã,
 cum hæc & huiuscemodi causificor: nec loquar ex senten-
 tia animi: sine me saltem sarcinas adhuc obligatas solue-
 re, quas nuper, id est ante quinq; menses in Marlianū me-
 um importãdas curauī, supellectilemq; cōponere. Haud
 dum enim scrinia digessi, & pluteos locumq; unicuiq; cō-
 stitui. Da spatium respirandi à iactatione urbana & pere-
 grina æstatis nouissime: patere me illorum obliuisci, totus
 ut sim in ijs quæ instant, & ocium nostrum manent. Vix-
 dum fabricam concinnaui & instruxi, & tu opus non mo-
 do dedolatum atq; exasciatum, sed compactum quoq; esse
 autumas, & probatum: iamq; præberi quasi ex pacto po-
 stulas, & conuento. Habetote quæso rationem temporis,
 eiusq; quod commodo meo fieri potest aut incommodo:
 & ego fortasse præstare quædam non grauabor, quæ fer-
 re quidem certe facultates meæ poterunt. Cum eo tamē,
 mihi ut cautum sit, existimationiq; meæ ab expectatione
 publica uestraq; amicorum: fraudi ne sit si solennes quot-
 annis præstationes in eam rem non pensitarim, uel in hoc
 ipso secessu, uel in urbano ocio: quando mihi hæc studia
 quātumuis feruentia, uacationem iam nullam præstare
 possunt à curis familiaribus, auocamentisq; rei œconomi-
 cæ & uxoriæ, quam unã Philologia mea æmulam iam diu
 habere cœpit. Quo mihi nunc magis omni ope cōtenden-

dum esse duco, ut quo ad eius fieri poterit, contubernio ipsas hospitaliūq; necessitudine coniungam. Quippe quū alteram amplectendam retinēdamq; necessario habeam, alteram summa uoluptate semp̄ sim exosculatus: ex quo ad frugem aliquam bonam excolēdum mihi animum esse statui: illamq; ueluti instrumentū uitæ colam, coluerimq;: ad hanc omnes uitæ rationes, uiuendiq; causas cōtulerim & referam: illi deniq; corpus, huic animum desponderim. Gaudeo Erasmus ambas meas epistolās accepisse post græcam ab eo ad me scriptam. Verebar enim ne si intercīdissent, ipse mihi succenseret ut parum officioso, tanq̄ nō rescripsissem. Salutabis eum uerbis meis, cum hominem conueneris, τὸν γὰρ ὑπερπλείγου ποίῳμαι δὲ φίλον, ὃν πείρω ἐφθλω ποιήσας, ἔγω γε ἀξιολογώτατον. Ἐπιφανεσάτω γε δὴ ἔσομαι μένῃ τοῖς ἐντυξομένοις ταῖς ἐπιστολαῖς ταῖς ἀμφοῖν ἡμῶν ἤδη τε καὶ εἰς τὸ ὕψος ἐξιδούαις. Vale. Salutauī quos salutandos mandasti. Parisijs postridie Calend. Feb. M. quingentesimo undeuicesimo.

GVLIEL. BVDÆVS LVD. VIVI S.



MT lætitia affectus sum literis tuis perlectis, ita tristitula quædam subiit animum mihi suspicio: subacerbusq; scrupulus ab Erasmo meo, qui pro suo more non rescripsit alteris iam literis meis: scilicet hoc illud est, nescio quid ille arbitratur stomacho meo hæsisse aut rancidulæ similitatis, aut pertinacis offensiōis, ob grādem illā epistolam, in qua eloquētię tragulas figuris inuolutas in hominē semiermē, atq; improuidū cōtorsit, omnia tū pacata sperantē & cōposita. Quā tñ ut elogiū summi uiri asseruādā esse duxi, in bonā utiq; partē fidē magis facturum. Quanquam cū minime suspicacem me hominē dū